



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Valentini Mangioni Per Vsini E Societate Iesv, In  
Signatura Sacra Pœnitentiariæ S.D.N. Papæ Consultoris  
Theologi De Religiosa Pauptate non excludente rerum  
Dominium nec Ius testandi Opvscvlvm ...**

**Mangionius, Valentinus**

**Coloniæ, 1639**

II. Arg. Ex Iure Pontificio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63077](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63077)

*particulare, priorum bonorum, siue illa temporalia, siue Ecclesiastica sint.*

II. ARGUMENTVM EX  
Iure Pontificio.

24 **Q**VÆ iam tot locis ex Constitutionibus Societatis adductis, & Canonibus, & Decretis Congregationum Generalium probata sunt, confirmantur ex declarationibus Pontificijs. omissis autem *Summis Pontificibus* PAVLO III. IVLIO III. PAVLO IV. PIO V. GREGORIO XIV. & PAVLO V. imò & SACROS. CONCILIO TRIDENTINO, à quibus Societatis Institutum examinatum, probatum, commendatum, & confirmatum fuit, produco solum duos textus ex Cōstitutionibus duabus GREGORII TERTII DECIMI. Primus est ex Constitutione quæ incipit *Quanto fructuosius*. Data Anno 1582. Calend. Februar. qui sic habet, *quod verò ad paupertatem attinet, quamvis bonorum suorum Ius & Dominium iustas ob causas pro Superiorum arbitratu ad tempus retinere valeant, vt in pios vsus iuxta Euangelicum consilium distribuant; in illorum tamen vsu religiosam paupertatem seruant, nec vlla re tanquam propria, & sine Superioris facultate vri possunt.* Secundus textus habetur in Constitutione quæ incipit *Ascendente Domino*. Data 1584. 8. Calend. Iunij, vbi ita habetur. *Licet qui ad gradus Professorum, & Coadiutorum formatorum nondum peruenerunt, bonorum suorum Ius atque Dominium, tum alias ob iustas causas, tum etiam vt maiorem Societas habeat libertatem illos, si opus fuerit, cum*  
minorè

minori offensione dimittendi, ad tempus Generalis Præpositi iudicio præscribendum valeant retinere, vt in pauperes tandem, seu alios pios vsus pro ipsorum deuotione distribuant iuxta Euangelicum consilium ac promissionem, quam initio Nouitiatus faciunt; interim tamen quantum ad illorum vsum Religiosam paupertatem seruant, nec vlla re tanquam propria & sine Superioris facultate vti possunt. Hactenus Pontificiæ Constitutiones: in quibus quot sententiæ ac verba, totidem penè insunt argumenta, quibus probatur, Scholares Societat. & Titium post vota simplicia retinere *Dominium in particulari, & actiuum bonorum*, quæ non distribuit irreuocabiliter in pios vsus.

Primò enim agitur de Dominio bonorum, 25 quæ Scholares iuxta promissionem factam initio Tyrocinijs, debent pauperibus erogare: illa autem promissio est de distribuendis bonis proprijs relictis in seculo. Ergo est *Dominium particulare, & actiuum, & non in communi, & passiuum*: quia *Dominium in communi*, vt sæpe dixi, est *Dominium respectu bonorum*, quæ possidet Collegium, cuius Scholares membra sunt: & certè ad hæc bona distribuenda ipsi non se obligant: neque est *Dominium passiuum* tantum, quia debet deferuire ad distribuenda in pios vsus bona relictæ in sæculo, quæ tamen per Aduersarios Titius ratione *Dominij passiu*, potest solum recuperare in casu, quod dimittatur à Societate. Imò addunt Titium illorum bonorum *Dominium actiuum*, transmisisse in Caium, cui etiam dicunt esse

Ius quæsitum in eisdem bonis. Secundò. Dominium, de quo agit Pontifex, est illud, quod retinetur ad tempus Generalis arbitrio præscribendū, qui solet iniungere Scholaribus illius abdicationē 4. ferè post annos ab ingressu; Ergo est *Dominium in particulari, & non in communi*, quia quando Scholaris iussu Generalis abdicat se suis bonis, adhuc post abdicationem, retinet *Dominium in communi*, quia est membrum Collegij, cuius, honorū respectu, est illud *Dominium cōmuni*. Tertio. Est sermo de Dominio bonorum, quod adhuc Scholares retinent, vt si dimittantur à Societate, dimittantur cum maiori libertate, & minori offensione: quoniam votis soluti, statim recuperāt liberum vsum bonorum suorum, quorum Dominium non amiserant per vota: at si retinent, vt volunt Aduersarij, solum *Dominium passiuum*; non facile recuperabūt sua bona; nec poterunt dimitti sine magna offensione; quia in illis bonis, vt ipsi sentiunt, est iam acquisitum Ius tertio, & huic iuri si quod esset (quod ipsi falsissimè supponūt) benè docent, derogari non posse. Quod si dicāt, hoc esse peculiare in simplici voto Paupertatis in Societate, vt referret Vouenti *Dominium passiuum*, ad sua bona recuperanda; ego argumentabor ad hominem sic. *Vota Religiosa* (sunt illorum verba) *debent in omnibus Religionibus esse equalia & nō potest vnum esse laxius alio*. Ergo cum votum Paupertatis in alijs Religionibus priuet omni Dominio, tam æctiuo, quam passiuo; ita vt Professus nullum Ius retineat, neque ad bona, quæ olim habebat, neque ad vlla alia; votum etiam Paupertatis

tis Scholarium Societatis, quia non debet esse laxius, quam sit in alijs Religionibus, priuabit etiam *Dominio passiuo*. Et si rursus dicant Aduersarij, votum Pauperratis Scholarium in Societate habere ex institutione Ecclesiae, vt non auferat *Dominium passiuum*; ego etiam dicam ex eiusdem Ecclesiae Institutione habere, vt non priuet *Dominio particulari, & actiuo*.

Deinde expendo aliqua verba, quibus vtitur 26.

GREGORIUS PONTIFEX. Prima verba sunt: *Dominium valeant retinere*, potius debuisset dicere; *valeant acquirere*. quia per emissionem votorum Scholares incorporantur Collegijs, & ideo *acquirunt Dominium in communi bonorum*, quae possident Collegia, quorum per vota membra euadunt: Deinde, *Retinere*, est illud, quod quis habebat, tenere: At Scholares ante vota habebant *Dominium actiuum, & particulare*, & non illud in communi. Ergo retinent *Dominium particulare, & actiuum*. Alia verba sunt; *bonorum suorum*. si dicamus *Dominium*, quod retinetur post vota esse, *Dominium particulare bonorum*, quae habebantur in seculo; recte dicantur *bona sua*; at si dicamus esse *Dominium solam in communi*; non potest dici *bonorum suorum*; quia bona Collegij, respectu quorum est *Dominium in communi*, sunt bona communia, non sua. Alia verba sunt, *interim tamen, quantum ad illorum usum, religiosam paupertatem seruant*. In his verbis agnosco quandam *Aduersatiuam*, quae consistit in hoc, quod, licet Scholares bonorum suorum ius, atque *Dominium valeant retinere*; tamen

quantum ad illorum usum, religiosam paupertatem seruant. si per Dominium intelligamus *Dominium* propriè dictum *particulare*, & *actiuum* bonorum, quæ relicta sunt in seculo; consistit rectè illa *Aduersatiua*, quod scilicet nõ obstante Dominio *particulari*, & *actiuo* priorum bonorum, nihilominus quoad usum eorundem seruēt paupertatem, ac si non essent sua, & propria: & semper dependenter à consensu Superiorum. At vero si per Dominium, quod Scholares retinent, intelligatur *Dominium in communi*; (vt isti Doctores volunt) quænam, obsecro, *Aduersatiua* erit in hac oratione? *licet Scholares Societatis retineant Dominium in communi bonorum Collegij, tamen quoad usum illorum religiosam seruant paupertatem?* Hoc non est peculiare Scholarium Societatis. sed omnium Professorum in alijs Religionibus, quæ possident bona in communi, etenim etiam ipsi, quatenus membra religionis sunt, habent *Dominium in communi*.

### III. ARGUMENTVM EX Observantia Subsecuta.

27 **L**icet obscurum esset, An Constitutiones, & Canones Societatis in locis supra adductis permetterent Scholaribus eiusdem etiam post vota nuncupata *Dominium particulare*, & *actiuum* bonorum quæ in seculo reliquerunt; (quod tamen obscurum non est) tamen cum ab initijs ipsius nascentis Societatis, vsque in hanc diem, hoc est, per spatium Annorum 98. in omnibus  
Collegiis